noster fatetur, se cum Homero certamen iniisse, inque A[illegible]
limis honorem cecinisse. Carmina ejus haec sunt:

Ἐν Δήλῳ τότε πρῶτον ἐγὼ καὶ Ὅμηρος ἀοιδοὶ
Μέλπομεν, ἐν νεαροῖς ὕμνοις ῥάψαντες ἀοιδήν,
Φοῖβον Ἀπόλλωνα χρυσάορα, ὃν τέκε Λητώ.

H. E.

In Delo tum primum ego, Mæonidesque Poëta
Lusimus, inque novis carmen cantavimus hymnis
Auricomum Phœbum, quem Latona edidit Alma.

Verum enim verò, quamvis multa opera Poëta noster laudem
exaravit, iisque fere posteritati sese commendavit: pleraque tamen
(quod maximè deplorandum) aut planè interciderunt, ut nec
vola, nec vestigium eorum hodiè supersit: aut certè injuria
temporum ita mutilata sunt, ut non nisi ἀποσπασμάτια seu
fragmenta quaedam de iis invenire liceat. Et adeò vix ac
vix sarta tecta permanserunt tria illa priora opera, Scutum
nimirum Herculis, Theogonia, & laudatissimum illud Opu-
sculum, cui Titulus: Ἔργα καὶ Ἡμέραι, Opera & Dies.
Cujus Opusculi fabula quaedam, nominatim ea quae agit
de PANDORA, in hoc publico nostro Actu Graeco-Latino,
variis Exercitiorum generibus suppeditavit materiam.
Eaque enim tota Actus nostri pars reliqua versatur circa fa-
bulam Hesiodi de PANDORA. Haec nempe fabula variis
Heterosibus & Metaphrasibus à Condiscipulis meis est elabora-
ta. Horum namque juvenum, quos propè adstare videtis,
alius Genus Heroicum, quo Conscripta tenetur fabula, in Genus
Elegiacum privatâ operâ transtulit; alius Metaphrasin La-
tinam, transmutando Versus Graecos in Versus Latinos, con-
stituit. Horum alius Metaphrasin Vernaculam, transfun-
dendo Versus Graecos in Rhythmos Teutonicos, elaboravit.
Quos & impraesentiarum ad exercitia publicè recitanda
in praesentiam hoc provocabo. Ad Vos igitur me jam
converto, ô Symmachi dilectissimi, Vos compello, Vos ad deman-
datam provinciam alacriter obeundam provoco. Prodite,
prodite, inquam, & onus humeris vestris impositum absque
ulla mora transactum reddite. Tu quidem HAUFFE,
primus esto, & Graecam fabulam, prout ipsum Hesiodum agno-
scit Autorem, κατὰ πόδα profer: ab hoc sume Tu HEXN[illegible]

SLUB Wir führen Wissen.
GÖRLITZER SAMMLUNGEN OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK
Uniwersytet Wrocławski